SEPULCHRI


CICERON, FACIES

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

48, – 126.

LN 972
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

II. 197. b. 198.   Heum. Poecil. T. III. p. 178.
IV. 258. b. 509. b.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

SEPVLCHRI

FACIES M. TVL: CICERO-
nis, Nuper in Zacyntho inſula re-
perti, & nunc in gratiam
ſtudioſorum Scholæ
Haffnienſis in
lucem æ-
diti.

IMPRESSA HAFNIÆ
Apud Chriſtophorum
Barth.

ANNO. M. D. LIX.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

EPIGRAMMA IOHANNIS Alberti. H.

Grata vetuſtatis longę monumenta referre,
  Cura eſt Ingenijs non aliena bonis.
Poſteritas etenim maiorum laude mouetur,
  Gaudet dum priſci temporis acta videt.
Hinc eſt quod varijs operoſa ſepulchra figuris
  In multis pateant, Conſpiciunda locis,
Scilicet vt meritis aliqui tribuantur honores,
  Atq; habeant laudes funera meſta ſuas
Hoc veteres ſtudio motos μνημεῖα fatentur,
  Quę nunc Oebalio marmore culta nitent.
Naſonis largo Tomitani funera fletu
  Plangentes, tumulum conſtituere nouum,
Exilio quamuis damnatus cęſaris ira,
  Hic tamen ingenio eſt conciliatus honos
Sic Ciceronis habet cineres nemoroſa zacynthos
  Quem patrię dixit libera Roma patrem.
Doctrinę laudem cum vita excidere ferrum
  Non poterat, ſed adhuc inuiolata manet,
Quiſquis amas igitur tumuli cognoſcere formam
  Atq; elegans veteris noſcere gentis opus,
Inſpice preclara poſuit quę Balthaſar arte,
  Perſpecta auſpicijs vtilitate faue.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

ORNATISSIMO VIRO, EXCEL-
lenti Doctrina, Splendore familiæ, & virtute præ-
ſtanti, D. Lagoni Brockenhus Domi
no & amico ſuo, officio &
fide colendo.

CVm anno ſuperiori in Italia verſarer, re-
lictiſq; Venetijs, Patauium concederem op-
pidum Italiæ vetuſtum, in quo varia vete-
rum relicta monimenta monſtrantur, Antenoris ſe-
pulchrum, Vergilij Maronis & T. Liuij patauini, duc-
tus ſum ad Monachum F. Deſyderium Lignamineum
qui longa narratione commemorare cæpit, nuper in
Zacyntho inſula venetorum, quę Epiro adiacet in
mari Ionio, dum conſtruendi Monaſterij fundamenta
effoderentur, ſepulchrum antiquiſsimum ſe preſente
repertum eſſe, his litteris inſcriptum. M. TYLLI,
CICERO|HAVE,|ET TV|TERTIA|
ANTΩNIA. Quod quidem ex hac vetuſta in-
ſcriptione oſtenditur fuiſſe M. T. Ciceronis Arpina-
tis ciuis Romani. Quomodo autem eo Ciceronis re-
liquię delatæ ſint, monumentumq; hoc illi ſit erectum,
vt rem ab ætate noſtra remotiſsimam haud facile di-
xerim. Satis tamen conſtat ex Liuio, Appiano, &
plutarcho, quod cum Triumuiri Octauianus Cæſar
M. Antonio Ciceronem, quem patrem patriæ appel-
lare ſolebat, Antonius vero Cæſari, L. Cæſarem a-
uunculum ſuum, & M. Lepidus L. Paulum fratrem
viros conſulares nefanda permutatione necandos con-
ceſsiſſent, atq; hæc vere vbi audiuiſſet Cicero, deſpera-
tis rebus præſertim ex ſua, filij & fratris, ac fratris fi-
lij, omnium denique neceſſariorum & clientum, ami-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

corumq; proſcriptione, vrbe Italięq; finibus eo conſilio
exceſsit, vt in Macedoniam ad .M. Brutum traijceret.
Primum autem in Tuſculanum fugit, inde tranſuerſis
itineribus in Formianum veniens, Caietę nauem in-
greſſus, Circeios vſq; nauigauit. Ibi propter ventos ad-
uerſos, maris tempeſtate deterritus, cum in terram
deſcendiſſet, tædium tandem eũ & fugę & vite cepit.
Regreſſus igitur ad ſuperiorem villam, Moriar (in-
quit) in patria ſæpe ſeruata. Sed peruicere tandem,
Liberti & ſerui qui ſecum erant, vt iterum nauigaret.
Cum itaq; ipſum lectica impoſitum ad mare referrēt.
adfuere ſatellites cum .G. Popylio legionario milite, qui
iuſſu .M. Antonij, Ciceronem patrem patrię & patro-
num ſuum in parricidij iudicio, prominentem ex lec-
tica, depoſita eius mandato, præbentemq; ceruicem
immotam, capite, tribus feriens vulneribus manibus
quoq; preſertim dextera qua philippicas ſcripſerat
præciſis, crudeliſsime obtruncauit. Caput deinde ac
manus Romam ad Antonium delatæ. Aſpexit diu,
ſumma lęticia exultans & Fuluia vxor quę (Dionis
Caſsij hoſtorici teſtimonio) truncatum caput manibus
pertractans deturpauit & cõſpuit, moxq; ſuper genua
imponens, ex ore linguam extraxit, eamq; acubus
quibus ad ornatum capitis vtebatur, multis non ſine
contumelijs totam pupugit & perforauit. Vbi vero
mulier nequiſsima hac immanitate & Antonius illo
ſpectaculo per diem oblectatus eſt, iuſsit per contume-
liam, caput inter duas manus pro Roſtris affigi: vbi il-
le conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduer-
ſus Antonium, quantum nulla vnquam humana vox,
cum admiratione eloquentię, auditus fuerat. Popyli-
um autem ſatellitum ducem coronauit, adornauitq;
ducen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

ducentis & quinquaginta Drachmarum Atticarum millibus, hoc eſt vt nunc ſubducimus, viginti quinq́ millibus Coronatorum. Reliquum vero corpus quo & delatum, & a quibus ſepulchro ornatum ſit, nemo (quod ſciam) expreſſe ſcriptum reliquit. Quamobrem veriſimile fuerit libertos & ſeruos qui cum Cicerone erant, pyræ impoſitum cadauer, & in cineres redactum diligenter aſſeruaſſe: & mox cum amicis ipſius, & forſitan vxore atq́ alijs propinquis, ex timore bellorum ciuilium Zacynthum inſulam in ipſo nauigationis curſu appuliſſe. Deinde a Marco Ciceronis filio, (quem Octauianus vt ſe a traditione patris excuſaret, reuocatũ in Italiam Pontificem ſtatim declararat, nec multo poſt Conſul factus ſibi collegam delegerat) in memoriam patris erectum hoc ſepulchrũ fuiſſe. Nam Appiano teſte in Græciam ad M. Brutum profugerat poſt Ciceronis mortem, quę contigit Anno ab vrbe. 712. Ante natum Chriſtum anno. 38. Ætatis vero ſuę anno Climacterico, quem tertium & ſexageſimum eſſe volunt. Iuxta alios autem, & meo quidem iudicio rectius, anno ſexageſimo quarto completo: quo etiam Brutus cum Caſsio in Philippis victi, ambo ſibi mortem conſciuere. Et iuxta plinium viſi in celo ſoles tres ſunt, anno 4. Olympia: 184. Hoc quoque tempore vt ex ſerie annalium apparebit apud noſtrates regnat Froto pacificus, tertius & trigeſimus Danorum Rex, bellis longinquis auguſtiſsimus, qui debellatis Pannonijs cum vtraq́ Myſia & ſarmatia, Regnum Suecię Noruegię & Britannię vna cum Hybernia, Belgico, & maiori parte Saxonię ſuo imperio ſubiecit, & mox per vniuerſum placide prudenterq́ pacatis rebus annos quadraginta continuos florente Dania, tu-

 tiſsima

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

tiſsima pace vixit :Porro in ſepulchro adinuentæ fue=
runt vrnulę duę vitreę, in quibus tanti viri cineres, &
amicorum lachrymæ (de more) ſeruabantur, quarum
formam & effigiem, nec non totius etiam ſepulchri
ὑποτύπωσιν a Deſyderio in charta delineatã, nunc o=
pera Chriſtophori noſtri Barthenſis exacte ſculpere,
& ad vnguẽ exprimere ſtudui : vt ſtudioſis iuuenibus
ſcholæ noſtræ propter rei nouitatem oblectationi eſſe
poſsit : occaſioꝗ detur totam in poſterum anteactæ
vitę Ciceronianę hiſtoriam tam a ſeipſo quam ab aliĳs
deſcriptam perlegere : atque ſimul humanarum re=
rum inſperatam viciſsitudinem, & fortunę ſubitam
μεταμόρφωσιν, acuratius intueri. Tui autem
nominis auſpicio potiſsimum mi Domine Lago, hæc,
Attica lege ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίου ſcripta,
dicare volui : vt opellæ per ſe tenui, defenſione atque
approbatione iudicĳ tui aliquid autoritatis accederet :
& confirmatum mihi de his teſtimonium perhiberes,
vt qui ipſe hæc accuratiſsime perluſtraſti loca, & tam
Romę quam Venetĳs apud optimos quoſque optimo
loco habitus : vbi & ego honorificentiſsimam nominis
tui commemorationem, laudumꝗ tuarum atꝗ inte=
gritatis prædicationem a bonis viris audiſſe me teſtor.
Acceſſere præterea priuata tua in me ſtudia, quibus
magno tuo beneficio magnoꝗ merito tibi deuinctus,
volui hac dedicatione exiguę paginę aliquam meæ er=
ga te mutuæ beneuolentię & debitę gratitudinis pu=
blicam ſignificationem declarare : Nec minorem a me
gratiam meretur preſtantiſsimus vir collega tuus Do=
minus Coruinus vlffelt, quem ego ſemper conſtanti
fide, & ſingularĳ pietate colui, cum propter excellen=
tes at=

tes atque expreſſas in ipſo virtutes, & amandam hu-
manitatem, tum propter diuturnam in ſtudijs littera-
rum memoriam condiſciplinatus noſtri, quam quidem
ampliſsima ipſius dignitas & fortunę ſplendor, mea
autem tenuitas impar, paribus officijs innouare non
eſt paſſa. Dedit vtrique naturam Deus res arduas
molientem, in quibus cum ſapienter moderateꝗ verſe-
mini, nihil vobis ad ſummam fœlicitatem eſt defutu-
rum vnquam. Quare cum ad publica ſecretioraque
gubernanda conſilia ſitis admoti, oro Deum vt ea ipſa
conſilia veſtra toti Reipub: ſalutaria, omnibus pro-
ſint nemini obſint, voſque non irę ſed miſericordię
ſuę vaſa faciat, vt quemadmodum cępiſtis, veram re-
ligionem, bonas literas, literarumꝗ profeſſores, om-
nemꝗ demum Iuſticiam, ſanctitatem, ac honeſtatem,
fouere & promouere ſummis viribus pergatis. Toti
autem patriæ noſtrę, & Chriſtianiſsimo Regi Chriſtia-
no, eiusꝗ filio Friderico principi magnanimo, Daniæ
& Noruegię electo Regi Domino meo clementiſsimo,
id opto, quod Regius propheta Dauid Pſal. 122. ſuæ
Hieroſolimę.

Stantes erunt pedes noſtri in portis tuis
Hieruſalem.
Sit pax intra muros tuos, & proſperitas
in palatijs tuis.
Propter domum Domini noſtri, quęram
bona tibi.

Vt in his quoꝗ borealibus hoſpicijs, Eccleſiarum
ſalus conſeruetur, litterarum ſtudia floreant, & ſubdi-
torum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

torum concordia ac beata pax retineatur. Id, vt ho-
rum autor Deus, donet, omnes pij toto pectore prę-
cantur. Fæliciter vale vir clariſsime, & me his annu-
mera qui perpetuo tuæ ſaluti & dignitati fauebunt.
Malmogij, Die Natali filij DEI inchoante annum.
1559. qui eſt a prima creatione mundi quam Moſes ini-
tio Geneſis deſcribit 5521. Quo die cęleberrima
inſula & oppidum Rhodos, ſex menſi-
um firma obſidione preſſa, a So-
limano Imperatore Tur-
cico capitur anno
ab hinc. 35.

E. T. Studioſus
Bal: Iacobi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

QVerenti mihi a Lignamineo, quamobrem Ciceroniano Epitaphio illud Haue flatili littera eſſet inſcriptum, hæ ſunt ex antiquiſsimis & librorum & lapidum inſcriptionibus ab ipſo recitatę rationes, quas annotaui. Erat patauij lapis pulcherrimus cum hac inſcriptione, D. M. PORTITORI PLVTONI ET PROSERP. HAVE. C. F. MAXIMA FELIX. Quę latius videre licet apud Bernardinum Scardæonium antiquitatis ſtudioſiſsimum de claris ciuibus patauinis. Similia exempla recitat. Marcellus Ceruinus, miſſa, Paulo 4. Pont: Max: MACEDO HAVE, BENE VALEAS. quæ inſcriptio viſitur Romę duobus in locis, vt habent Epigrammata antiquæ vrbis. In domo quoque Marij Odi, IPHIGENIA SVAVIS HAVE In horto etiam Iulij Tomarotij viri clariſsimi longolij teſtimonio. HAVE HVGIA ANIMA DVLCISSIMA, SIT TIBI TERRA LEVIS. Eſt præterea (vt ille commemorabat) artificioſe ſculptus lapis Piſis, vbi Coſmus Medices Florẽtiæ Dux, ill: florentiſsimum gymnaſium inſtaurauit PARTHENI HAVE, BENE VALEAS. Apud Oſtiam itidem, IVLIA SP. F THAIDI, HAVE THAIS, DII TIBI BENE FACIANT. Alia alibi FLAVIA CLAMERA DVLCISSIMA HAVE Nihil igitur dubitandum tot iam firmis teſtimonijs in medium, adductis, quin hæc vera ſit orthographia, HAVE ab antiquis recepta & obſeruata. Etſi diſsimilia quoque exempla inueniuntur, vt in ſurdo maioris vrnę cinerum Ciceronis, AVE MAR: TVL. Mediolani hæc extat inſcriptio in domo Illuſtriſſ Iacobi Triultij AVE ALCIME. Et ego in vrbe Roma & extra vrbis męnia in locis hortenſibus, præſertim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

in via Appia, vbi frequenter defunctorum humata corpora cinereſq; reſeruatæ cernuntur, ſimilia Epitaphia obſeruaui. CORNIFICIA MEA SVAVIS AVE, DII TIBI FAVEANT. AVE IVLI DRVSE, SINT TIBI DII PROPICII. Porro quænam fuerit tertia illa Antonia, cuius hic fit mentio, propter longinquitatem & temporum iniuriam, in quibus intercidere multa, exacte teſtari non poſſum. Quamobrem autem Tertia cognomine dicta ſit, quiuis facile iudicabit. Sic Romulus cum ex Herſilia coniuge, filiam ſuſcepiſſet, eam ab ordine procreationis Primam appellauit. Tertia igitur cognomen erit (quamuis quidam prænomen magis eſſe opinentur) ſicut & ſecunda, & Quarta, & Quinta, quod ſorores eodem patre gentæ, & nomine, Gentilicio more antiquo, dictæ, diſtinguerentur. Si duę tantum Maior & Minor apponi ſolebat. Et quanquam varia ex varijs Hiſtoricorum ſcriptis corraſa exempla noſtro propoſito applicari poſsint, tamen quia cuiuis hiſtoriarum lectori obuiam ſint & cognita, breuitatis cauſa ijs poſt habitis, hæc tantum adducam, quę partim ipſe Patauij vidi, partim Deſyderius recēſebat. In Horto Vincentij Sardgonij Patauini Medici, hoc Epitaphiū viſitur vbi Primæ mentio fit: C. POMPEIVS C. L. LEPIDVS SIBI ET POMPEIÆ. C. L. PRIMÆ TESTAMENTO FIERI IVSSIT, In agro Pat. itidem, in Caſali ſuburbio, ETTIA. C, F, PRIMA V. F. SIBI ET G. SERVILIO. C. F. MATVRO In peruetuſto etiam templo D. Ioan: Bapt: a nauibus ſecundæ exemplum habetur, SCIPIA P. F. SECVNDA FIERI IVSSIT, Exemplum Tertiæ habes in hac ſepulchri Cice: inſcriptione Et Patauij IVLIA

Ter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

TERTIA LVCIDÆ LIBETÆ. De Quarta extat Epitaphium T. Liuij in antiquiſsimo lapide ſculptum, quod ab æde D. Iuſtinæ tranſlatum, ciues patauini in prætorio ampliſsimo paucis ante annis, ponendum curarunt V. F. T. LIVIVS LIVIÆ T. F. QVARTÆ: L. HALVS CONCORDIALIS, PATAVI SIBI ET SVIS OMNIBVS. Quintæ vero Exemplum datur in vetuſtiſsima inſcriptione Patauina. FILICINVS SIBI VIVVS FECIT ET ENNIO C. L. ANTIO. C. PATRI, ET VETTIÆ PRISCÆ MATRI C. FIL. QVINTÆ. Poſtremo, hoc quoqꝫ addiderim, quod extat apud Alexandrum Baſsianum Pat: eximiæ eruditionis virum cuius domus merito, officina rerum antiquarum dici poteſt. C. SEMPRONIVS Q. F. PRIMVS, VIVOS F. SIBI, ET VXORI CLODIÆ SECVNDÆ, ET QVINTO SEMPRONIO TERTIO FRATRI SVO. Hæc ſunt quę communicare tecum volui Italię noua &c. Tu interim memineris Συγγνώμην τῷ πρωτοπείρῳ δοῦναι. Vale fœliciſsime.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

IOHANNES SASCERI-
des ad ſtudioſum lec-
torem.

Ingenijs ſunt grata bonis monimenta vetuſta,
Deq; viris priſcis plurima noſſe iuuat.
Præſertim, humano generi ſi dotibus illi
Sidereis artes excoluere bonas.
Quare cum Cicero facundæ flumine linguæ
Profuerit multum plebs ſtudioſa tibi:
Baltaſaris noſtri hæc induſtria grata futura eſt,
Per quam relliquias iam Ciceronis habes.
Quas ingrata diu texit nimis alta zacynthos,
Nunc en reddit eas Dania docta tibi.
Sic nihil occultum eſt, quod tandẽ haud proferat ætas,
Quoſq; Deus claros vult, latuiſſe vetat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 972 4° copy 1